



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

XVI. Ambulandum coram Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

regentis non videas. Quamadmodum enim in mundo visibili, & in corpore humano, aptissima illa similitum, ac dissimilium compositio Deum auctorem ac rectorem pronuntiat: ita & in civilis mundi partibus populorum, ingeniorum, fortunarum, parium dispariumque, jucunda mistura. Ut æquè de mundorum trium harmonica modulatione dici possit, quod apud D. Augustinum legitur tomo 4. in carmine alterius scriptoris de mundi pulchritudine: *Rapidum tardo, & rata currens hac & hac vaganti: Statisque moventia, densis rara, magna parvis: Obscuris flammiferata, nigra luminosis: Intercidentia natis, nata nascituris: Medium extremis, medio illa, & ima summis, Concordant lege superna, lege dico veri: Vnum carnem modulantur, concinuntque in unum.*

XVI. *Ambulandum coram Deo.* Stabilissimum hoc Providentiæ Divinæ fundamentum meliùs claudere non possumus, quàm D. Anselmi verbis Profologii capite 4. *Gratias tibi, bone Domine, quia quod credidi te donante, sic intelligo te illuminante: ut si te esse*

esse nolim credere, non possim non intelligere.
Et si te meæ mundique omnis gubernationi perpetuò intendere, religio divina non persuaserit, ratiocinatio tamen humana evicerit. Anachoreta Ludovicum Blofium, Lætienfis Coenobii Præfulem, de præceptis Christianæ vitæ adire per intervalla solitus, hæc aliquando accepit Dei ad Abrahamum verba, Gen. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Ad tuguriolum reversus, expendere primùm illa summam, deinde pervaria excitandæ voluntati diducere: nunc intelligentias Deo fervientes contemplari; nunc coelos, ac stellas coram Deo, id est ejus jussu, ambulantes; nunc elementa ac meteora ipsius imperiis obsequentia; jam mista omnia, jam corpus suum, jam gentium nomina & fata ex unius Domini nutu suspensa. Inter tot exempla undique oculis ingesta, valdè indecorum & iniquum fore, si ipse non ambulet coram Deo, & ad nutum illius agat quævis ac patiatur. Eum ferè in modum secum ipse ratiocinando dies totos exigebat, sui vix memor:
donec

donec Blossius longè diutiùs solitò abesse miratus, ultrò adivit, sciscitatúsque est, quid sibi vellet tam diuturna absentia. At ille : quod enim, inquit, ex te documentum altius, fæcundiúsque, & magis inexhaustum accipiam, quàm ut cum rebus omnibus creatis ambulem coram Deo, in ejus voluntate defixus, & ad ejus manum atque impulsum semper intentus?

SECTIO SECUNDA.

Alterum fundamentum :

*A Providentia Divina res etiam minimas,
& fortuitas, curari.*

I. Res nulla
Deo indi-
gna. **I**Ndignè de Deo sensère Infideles illi apud Minutium Fælicem in Octavio, qui extorqueute veritatis testimonium naturâ, Providentiam Divinam universo præsidere fassi, indignam ejus sollicitudine rerum minutarum sollicitudinem existimabant. Sed si indecora Deo non fuit vel minimorum creatio, cura etiam de minimis.